Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1927
Quelle:
Copyright:

ti in Dei nomine B. p. dominum Nicolaum papam 5tum tamquam supremum christi vicarium in terris et beati petri successorem recognoscit et sub eius obedientia in antea, quantum potest, se stare protestatur, sicut in scriptis statim audietis. Atque hic ipsa *Friderici* Declaratio praelecta fuisse videtur, cui opportunas adhortationes subjunxit *Haselbachius.* Varia de hoc negotio memorat *Conspectus Hist. Univ.* ad an. 1447. 30) *Collatio pro Rmo domino Nicolao alias de Chusa Cardinalis tytuli sancti Petri ad vincula.* Initium: *congratulantes pariter occurrimus Venerabilis dominus noster preclare vniuersitatis nostre Study Wyenn. Rector singulique doctores — Vestre Rme paternitati ob sublimem promotionem ad Cardinalatus fastigium* &c. Prima igitur haec Viri celeberrimi Legatio in purpura. Excusat *Haselbachius* Academicos, quod pridie introeunti Cardinali non occurrerint, *arbitrantes noui sacerdotis primicias per nolarum pulsum designari,* praefatur quaedam de veteri sua cum *Cusano* amicitia, et de suo senio, tandem in illud: *Exiit, qui seminat, seminare semen suum, Luc.* 8. laetas spes praecipit de Cardinalis laboribus in *Germania,* cujus convulsum deplorat statum, memoratis peculiariter *Bohemicis* devastationibus. 31) *Collatio in susceptione Serenissimi Domini Regis ladistai Vngarie Boemie &c. Regis ducis Austrie 1452. in Octauis Natiuitatis Marie Virginis.* Feria videlicet 4. infra Octavam regius Juvenis a *Friderico* Imp. demum dimissus *Neostadio Viennam* perductus erat. Gratulatur ei Academiae nomine Noster hoc initio: *Ne quis sue malitie possit velamen fortassis obtendere* &c. et ex loco III. *Reg.* 10. *Posuit te regem super Israel, ut facias iudicia atque iustitiam;* optat et hortatur, ut velit esse *munificus Actor sue terrene glorie,* dein *saluificus Tutor,* demum *beneficus Consolator subjectorum.* Atque haec fusius deducendo non semel *Ladislaum Archiregem* compellat. 32) *Collatio post aduentum de Concilio* (in die) *perpetue et felicitatis* 1436. Tarde sane, 17. videlicet *Martii,* si quidem *Haselbachius* jam a. 1435. *Basilea* rediit, ut adfirmat *Conspectus Hist. Univ.* ad h. a Initium est: *Humanitate maxima vestra actum esse generosissimisque fauoribus* &c. Reddit Noster Academiae rationem itineris et gestorum in Concilio, v. g. VI. *mensis maij Anni &c. 32. iter arripui cum Rdo in christo patre &c. domino frisingensi* (Nicodemo de Scala Veron.) *qui a primordio exitus sui vsque ad suum de Basilea absceſſum nouem ferme mansibus a mensa pariter et latere suo me — seiungi passus non est* &c. Relatio adfecta magis, quam elaborata, utilis tamen ad Concilii historiam. 33) *Collatio,* ut in calce, *in susceptione Rmi domini legati Card. sancti Angeli* (Joh. Carvajalii) 1447. *penultima Octobr.* Meminit hujus Adlocutionis et Oratoris *Conspectus Hist. Univ.* ad h. a. aitque, Legatum hunc *Nicolai*